

respondere possimus; nec demum super ambiguis disputare cogamur. Generalia verba dubium generant. Ex dubio lis oritur. Qui pacem cupiunt recta incendunt via et aperte locuuntur fugiuntque perplexa et obscura verba que in diversas possunt trahi sententias. Nobis clara placent. Et quoniam inter Genuenses et Venetos de rebus orientalibus posset oriri dissensio, amputanda nobis videtur concertationis occasio. Quod facile fiet, si suis quisque terminis contentus erit, nec tentaverit in aliena irrumpere. Nos autem qui pro defensione fidei profecturi sumus ad bellum et honorem tantum Dei querimus non mortales opes aut imperium terre, iusti iudicis locum tenebimus, conabimurque ne cuiquam fiat iniuria. Quod autem scribis de duce Mediolani et habitis cum rege Francie tractatibus, et quod dominium Genue ab archiepiscopo depetitur, haud novum apud nos est. Dies circiter quindecim ante hoc ipsum ducalis orator ad nos detulit. Res magna est et apud multos diversas opiniones paritura. Nos etsi post factum dumtaxat eius notitiam nacti sumus: quod tamen de magno et sapientissimo principe et nobis amico gestum est, non possumus nisi collaudare et bonum rectumque credere, atque ut ab ipso dicitur ad pacem Italie communeque bonum totius Christiane religionis pertinere. Quod autem archiepiscopum ex nobis consilium querere ait quid sit acturus, an postulatis annuat, an aliud quippam moliantur, plusculum temporis ad bonum consultandum egeret. Nec nos illi sumus, qui de nostro consilio multum confidamus nec res Genuenses plene intelligimus, quos vix ipsi satis per se intelligent cives. Verum quantum cupimus, tantum sapimus, et quantum sapimus facile enuntiamus, et id bona fide. Nobis eo deducte res archiepiscopi videntur, ut necessarium sit Mediolanensi principi morem gerere eiusque gratiam et favorem amplecti, nisi velit se ipsum et gentiles suos et patriam et cives in magnum discrimen adducere, et pericula subire ex quibus difficile possit emergere. Nam quo confugiat? Cives inter se divisi sunt. Nec nobilitas cum plebe sentit. Nec optimates omnes unius propositi habentur. Genuensis ager in diversas partes discessus: nullum prestare urbi presidium potest. Non Franci, non Florentini adversus ducem requirendi sunt, qui ei favent; non rex Ferdinandus illi obnoxius; non rex Aragonum satis habens per sese domi quod agat. Nec nos illis sumus qui pacificum Italiae statum turbare velimus. In Turchos nostra fertur intentio. Auxilia a remotis querere longum est, neque in tempore adsunt. Nobis durissima provintia videtur archiepiscopo futura, si cum Mediolanensi principe contenderit vere murque ne pacem Italie illi resistendo interrupcat et nostre contra Turchos expeditioni maximum afferat impedimentum, quod non solum Genuensi, sed universe rei Christiane apprime dispendiosum esset. His ex causis, si quid in nobis consilii est, ex animo suademus archiepiscopo ut pacis conditiones cum Mediolanensi principe haud quaquam abnuat, apud quem si nostra intercessione opus fuerit, presto erimus archiepiscopo et turbi Gennensi totique populo summa